

stitionis refutationem, denique (7) *attributorum*
divinorum expositionem.

Illa exhibet *Dei cultum*, ubi officia pietatis nobis incumbentia exponuntur. Illa quidem ab aliis in jure naturæ traduntur, sed quemadmodum eos suo sensu abundare sino, sic & mihi hanc libertatem tribuo, ut officia erga Deum præsentis disciplinæ optime inseri posse putem, idque ideo, quod nullum detur principium, unde officia tum *erga Deum*, tum *nos ipsos & alias* simul deduci possint. Proinde rationi convenientius esse arbitror, si quando in illa disciplina, in qua Dei cognitio exhibetur, etiam *officia pietatis* sistantur, siquidem ea demum *ex relatione hominum ad attributa divina* commode eruantur distincteque cognoscantur.

Pars Generalis.

exhibens

DEI COGNITIONEM.

SECTIO I.

DE DEI EXISTENTIA.

CAP. I.

DE DEFINITIONE DEI.

§. 1.

Omnium primo hic exponendum erit, quid per vocem *Deus* indicetur, utpote quem varii varie definiunt. Scholastici Deum describunt *per spiritum infinitum*. Cartesianis Deus vocatur *substantia, omnimode perfecta omnesque excogitabiles perfectiones possidens*. Cl. Poireto Deus dicitur